


PALAESTRA LATINA



SUMMARIUM

DE RECTA LINGVAE LATINAE PRONUNTIATIONE.
(Jové).

RESPONSORIUM

B. ANTONIUS MARIA CLARET. (J. Llobera)

CONLOQUIUM IN SCHOLA.

CURSUS GYMNASTICUS, (H. Martija).

AVE MARIA, (G. Laserna).

NOVA ET VETERA, (E. Jové)

PER ORBEM, (J. M. Jiménez).

BIBLIOGRAPHIA, (C. Fridericus, H. Martija),
J. M. Giral, J. M.^a Mir.)

INDEX RERUM

VERA SANCTI JOHANNIS BERCHMANS IMAGO.
(I. Garmendia). in operculis.

EXERCITATIONES SCHOLARES in operculis.

Ordinarii atque Superiorum permissu

Vera Sancti Johannis Berchmans Imago

*Angelici Juvenis perpulcram pingere vollens
In somnis formam, visus adesse mihi
Ante oculos Berchmans, ut nec pinxisset Apelles.
Talis honor, splendor, tam juvenile decus!*

*Pictor eram, superans naturam, insignis in arte,
Artifici pingens vix imitanda manu.
Cumque imitans formas sanctum celebrare Johannem
Undique conabar, luditur arte sopor!
Nec nitidae tabulae gaudent animare colores
Ignarae doni, quod positurus eram!
Nubila tunc tendunt me circum agitantia fumos
Membraque deficiunt, tristitiaque premor.
Tunc divo doctus verbo, divo ingenioque
Purpureis pinxi floribus atque rosis.
Hinc humiles violae, hinc roscida lilia fulgent,
Frondens hic laurus, nigraque myrtus ibi:
Hinc rosa purpureo pingit rubicunda colore,
Illic silvestris sanguine tincta rosa.
Flos suavis nardi, folii tricoloris et omnis
Flos prata exhilarans, verque remittit agrum.
Ori virgineum donat viola ipsa ruborem,
Cordis amorem vult rubra rubere rosa;
Illius stillant nardi os et guttura odorem,
Quo caelum et terram melleo odore replet;
Inque oculis fulgent sic lilia, signa pudoris,
Qualis sol inter sidera luce micat.
Udique cingentes praeclaro flore coronam,
Corpus circumdant, purpureumque ferunt
Cunctae virtutes fulgente colore nitentes.
Sic pinxi Berchmans floribus atque rosis.*

*Germanam, credo, formam veramque Johannis:
Virtutum exemplar, visus adesse mihi
Ante oculos Berchmans, qualis virtute reinctus:
Talis honor, splendor, tam juvenile decus!*

Ignatius GARMENDIA, S. I.

Chavetoniae, 26. - XI - 1933.



PALAESTRA LATINA

MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS

Pretium subnotationis annuae, solutione antelata, est 6 pessetorum in Hispania, 7 in America et Lusitania, 8 in reliquis civitatibus. Pretium mittatur oportet ad Administratorem: CERVERA (Lérida) - Universidad - España

De recta linguae Latinae pronuntiatione⁽¹⁾

Diphthongi ae oe, ai ei comparate pronuntiantur. d)

Ex peritorum hominum testimoniis. Jam obiter in praecedentibus articulis hujus rei auctores produximus claros: Velium Longum (pag. 51), Marium Victorinum, Guardia et Wierzeyski, Vossium, Terentianum Maurum (pag. 65, 66), Cliquennois, Erasmum (pag. 67). Hodie autem velut in fascem alios plurimos conligemus qui rem nostram magis patefaciant.

Forcellinius: «Haec diphthongus (ae), Graecae *ai* etiam sono apud veteres respondebat; vetustissima enim linguae Latinae monumenta haud raro *ai* pro *ae* nobis exhibent» (*Lexicon totius Latinitatis ad ae*).

Freund: «Ortographia vocabuli Germani *Kaiser* (Caesar) probat ab aetate vetustissima meliorem populi partem non cessasse pronuntiare *ae* sicut *ai*». (*Dictionnaire de la langue latine ad ae*).

Ricciolius: «Graecorum diphthongi latine vertuntur ut infra sic: *ai* *ae* Maenander, Paeon, Musaeus et aliquando in *ai*, ut *Aiax* *Maia*... in *oe* ut in *coenobium*, *Coebus*, *phoenix*. Prisci tamen aliquando usurpabant *oi*; iidem dixerunt *proilium* pro *proelio*» (*Prosodia Bononiensis, Pars secunda, n. 5*).

Joh. Vossius: «Valde autem vitiosa est vulgaris diphthongorum pronuntiatio tum apud Graecos tum apud Latinos, nam *ai* efferrunt *e*. Apud Latinos quam vitiose hodie diphthongi proferantur vel illud argumento est quod olim *ae* accedebat ad *ai*;... *oe* mediam obtinuit naturam inter Graecum *oi* et Latinorum *ou*: nimirum ut in *ai*

(1) Confer num. 32, pag. 66.

ita quoque in *oi*, *i* in *e* migravit propter sonum affinem. Porro jam saeculum et amplius est quod diphthongos corrupte pronuntari viderunt Nebricensis, Gregorius Valla, Guarinus et alii; neque isti dicere poterant heri et nudius tertius hoc vitium irrepsisse» (*De arte grammatica II*, 4).

Nicolaus Funccius: Notamus occasione verborum *aidilis* et *aide*, ac Latinorum antiquissimos per ai Graeca consuetudine scriptasse. Ita Plautus adhuc, licet virili Latinae linguae aetati proximus:

Is publice legatus Naupactum hinc fuit

Magnai reiipublicai gratia (Mil. Glor. II, P.)

Mittimus alia quandoquidem instituti nostri non est analitice examinare omnia, sed ex allatis tantummodo praemonstrare quam diverse ac corrupte hac puerili aetate animi sensa communicaverint prisci Romae cives, *ut ex scriptura de loquendi ratione, quodammodo saltem, iudicare valeamus.*» (*De origine, et de pueritia linguae Latinae V*, 24).

Sanctius Brocensis: «Diphthongi duobus litteris sonare debent, et sicut dicimus *vais*, *corrâis*, *hây*, *vöy*, ita dicendum est latine *magnae*, *petrae*, multo aliter ac magne petre. *Coelum*⁽¹⁾ pro *cielo* dicendum est, quia venit a *cao* vel a *côncavo*, et qui bene pronuntiaverit duo devitat menda, pronuntiandi *c* per *ç*, quae magna est barbaries, alterum autem auferendi propriam a diphthongo virtutem, ex *oe*, *e* faciendo. Idem dico de *coena*,⁽¹⁾ quae vox ab *coire* originem ducit sicut *coetus* a *coitus*.» (*Reglas para perfectamente leer y pronunciar latín*).

Erasmus Rotterodamus: «Dic batavice *Rat*, audis *a* breve; dic consilium *Raet*, audis diphthongum *ae*. Idem fit in foramine *gat* et vadite *gaet*; in balneo *Bat* et in lucro *Baet*. Jam mihi succurrunt istiusmodi generis exempla innumera» (*Dialogus de pronuntiatione*).

Albinus: «Me legat antiquas cupiat qui scire loquelas

Me spernens *loquitur* mox sine lege patrum:

aeternus, aetas, aevum... aequitas, aequus, id est justus, haec omnia per *ae* diphthongon scribenda sunt; equus, si animal significat, per simplicem *e*» (*Keil VII*, 158).

Justus Lipsius: «Si quaeras quinam mea sententia proxime accedant ad pronuntiationem antiquorum, sine cunctatione respondeam Germanos. Eae (diphthongi) ex vocalibus binis conflatae sunt, sic ut transeat in sonum unum sed in quo reliquiae soni utriusque. Latinis eae quattuor *ae*, *oe*, *au*, *eu*. Duas ex iis ultimas recte pronuntiamus hodie; duas priores nec recte. Nam cum *e* et quidem tenui

(1) Errat in etymo et ideo etiam in orthographia horum verborum, non autem in pronuntiatione diphthongorum.

confundimus utranque. O turdulil qui potest? Jugulo vos uno telo quia frustra quaesitae et repertae sunt diphthongi, si sona a vocalibus nihil divertunt... Sonus is (diphthongorum) quis? Idem quod Graecanicae, quem bene adstruxerunt contra vulgus Clercus Britannus et Metkercus vester, viri non e vulgo. Vos Belgae item adsonatis, etsi aliter scribitis: *peysen* cogitare, *reysen* iter facere, *seyl* velum et talia. Ait Terentianus Maurus utrosque sonos jungi; ait vi germina eas proditas. At cum Phoebum Phebum dicitis, cum Musae Muse effertis, ubi adparet? Pipillones, digni quos pueri pipulo differant in pertinacia si perstatis. (*De recta linguae Latinae pronuntiatione XI initio*).

Quibus auctoribus plures addere possum alios tum veteres tum recentissimos qui rem omnino compertam tradunt. Sed hos delegi quod nulla addita explicatione sensa sua perspicue manifestant.

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

RESPONSORIUM

G. L. — *Zipaquirae*. Libentissime, sed strictim ad quinque quaesita respondeo.

Ad primum. Audi de re clarum virum Llobera: «Si utraque consonans aut una duplex erit in principio sequentis dictionis, nihil praecedentem vocalem brevem juvabit, nisi fere apud poetas minus accuratos». Quod de Vergilio adfers exemplum in *Aen.* 9, 37, aliae criticae editiones legunt *Ferte citi ferrum, date tela et scandite muros*. (Teubneriana edit. major a Gualtero Janell) et aliae *Ferte citi ferrum, date tela ascendite muros* (Corp. Script. Lat. Paravianum, *Aen.* a **Rem. Sabbadini**). Vitanda tamen est pro virili ejusmodi positio.

Ad secundum. Qui distinctionem adferunt in paenultima syllaba verborum *univocus* et *aequivocus* plane desipiunt, cum nulla usquam invenitur causa et nullum adsit apud auctores exemplum syllabae longae in *univocus*.

Ad tertium. Qui latine bene norunt sciunt *u* post *q* nullam esse vocalem, sed consonantem liquidam, ideoque *loquantur* pronuntiarum quasi loquuntur.

Ad quartum. De *fervere* audi quid dicat Forcellinius; «In quibusdam personis et in infinito praesenti, aliquando est tertiae conjugationis *fervo, fervis, fervere*, praesertim apud poetas.

Ad quintum. Mendum illud est quod excidit non auctori sed litterarum transcriptori.

B. ANTONIUS MARIA CLARET

SOCIETATIS JESU AMANTISSIMUS

*Impiger velox iter ecce Claret
Tendit ad Romam, exagitatus almo
Spiritu, extremas aditurus oras,
Limina terrae,*

*Ad Deum ut gentes trahat infideles
Liberas summum Satanae a catenis,
Liberas igni quoque sempiterno et
Carcere caeco.*

*At quis, o Numen, veneranda noscat
Sensa mortalis tua? possit et quis
O! tuum scrutari animum? Petebas
Non id ab illo.*

*Nec Deus vult ut numereris unquam
Inter, Antoni, socios Iesu,
Quos regit Lojola pater sacroque
Nomine signat.*

*Namque jam te mente tua potitum,
Veste et indutum meliore regis,
Insidens cruri cruciatus imo
Reddit inertem.*

*«Ecce te Numen revocat supremum,
Maxime Antoni, in patriam, o dature
Gloriam Divo»: videt hoc superno
Lumine Roothaan.*

*Exuis vestem sociorum Iesu
Purpura atque auro tibi cariorem;
Aestuas verum quo Eneco aestuavit,
Fervidus igne.*

*Litus Hispanum repetis; tuorum
Civium incendit sacra flamma pectus,
Saepe quam constans trabis ex libello
Magni Eneconis.*

*Filios tanti Patris usquequaque
Diligis, magni facis et Sacerdos
Praesul et magnus, suam opemque poscis
Consiliumque.*

*Sic eos tanti, Pater, aestimasti,
Spretor humanae propriaeque laudis,
Ut ministrares famuli instar imi
Fercula mensae.*

*Sic es, o Pastor, veneratus usque,
Gaudio circum lacrimans dares ut
Ad nigros Afros Aevedi euntis
Bracchia collo.*

*Perge jam felix, bonus, o Beate,
Perge nos semper miseros juvare,
Hos tui qui sunt fueruntque semper,
Usque futuri.*

Josephus LLOBERA, S. J.

(1) De P. Claret nihil est loquendum; non enim abstinet dicere et repetere filium Societatis se fuisse atque esse pergere. Ex litteris P. Eugenii Labarta, Provincialis Castellae ad Praepositum Generalem, datis prid. Kal. Febr. a MDCCCLIX.

Conloquium in Schola

In pervigilio examinum

FLORENTINUS et RAIMUNDUS

- F.—*Cras erunt examina: pro timor!*
- R.—*Quare?*
- F.—*An parri momenti judicas examina? Annon, illa pertimescis?*
- R.—*Licet non omni fruar tranquillitate, minus tamen ea res coquit mentem meam, nec semper ante oculos obversatur.*
- F.—*Ergo modo audeas ante quaesitores te sistere responsurus de quacunque lectione?*
- R.—*Quidni? Omnia curavi pro virili ediscere; et quamvis non in omnibus instructum me esse comperi, sunt enim quaedam immaturae lectiones, tamen tranquillus sum.*
- F.—*Rem non intellego.*
- R.—*Videsis. Fit saepe ut quaesitores optime scita interrogent; et tunc quo tantus timor examinum? Quinimo si quaestioni de qua te interrogant apte respondeas, totam videris scientiam consecutus. Si autem aliquam ignoraveris responsum, timore percussus nihil adferes remedii.*
- F.—*Non improbe dictum. Verumtamen si huic tam gravi periculo ereptus essem! Si pertransisset haec turbulentissima tempesta!*
- R.—*Ergo tantum propter examinum tremorem in studia incumbis?*
- F.—*Absit: at nisi examen istud me adigeret, numquam studia mihi tanti forent, ut eorum gratia caput affligerem.*
- R.—*Non videtur rationale propter examina studuisse; sed propter sapientiae commoda et ob futuras praelectiones melius citiusque capiendas.*
- F.—*Sapientiae commoda laudo; valetudini tamen est consulendum. Nolo exactis vi-*

La víspera de exámenes

FLORENTINO y RAMÓN

- F.—Mañana son los exámenes. ¡Qué horror!
- R.—¿Porqué?
- F.—¿Te parece poca cosa los exámenes? ¿Tú no los temes?
- R.—Aunque no estoy del todo tranquilo, no es cosa que me maree demasiado, y que no me deje sosegar.
- F.—¿Luego te atreverías ahora mismo a presentarte ante los examinadores para responder de cualquiera lección?
- R.—¿Porqué no? He procurado aprender todo en cuanto he podido; y aunque veo que no estoy al tanto de todo, porque hay algunas lecciones verdes, no obstante, estoy tranquilo.
- F.—No lo entiendo.
- R.—Mira; sucede muchas veces que los examinadores preguntan lo que mejor uno sabe; y entonces, ¿a qué tanto temer los exámenes? Además que si respondes bien a la lección que te preguntan, es como si supieses toda la ciencia. Pero si ignoras alguna respuesta, no remediarás nada con tu temor.
- F.—Bien hablado. Sin embargo, si me pudiese ver libre de este tan grave peligro! ¡Si hubieses pasado ya esta turbulentísima tempesta!
- R.—¿Luego tú sólo estudias por el temor de los exámenes?
- F.—De ningún modo: no obstante si este examen no me urgiera, no tendría en tanto los estudios, que por ellos me hubiera de romper la cabeza.
- R.—No parece racional estudiar por los exámenes; sino por las utilidades de la ciencia, y para aprender mejor y más pronto las otras lecciones.
- F.—Alabo las utilidades de la ciencia; pero hay que mirar por la salud. No

ribus curriculum consummare.

R.—*Nec ego; quod non impedit, quominus impensius studeam sine examinum timore. Hujusmodi timor minuit vires. Timorem depelle, et effectus experies.*

F.—*Sic faciam; sed cras opem tuam spero.*

R.—*Operam meam tibi promitto, sed studiosior esto in posterum.*

quiero acabar la carrera completamente exhausto de fuerzas.

R.—Ni yo tampoco; lo cual no impide que estudie con interés sin temor de los exámenes. Este temor es el que disminuye las fuerzas. Quita el temor, y experimentarás los efectos.

F.—Así lo haré; pero mañana espero tu ayuda.

R.—Te la prometo; pero procura ser más estudioso en lo sucesivo.

CURSUS GYMNASTICUS

In Georgica, I, 466-492.

Proluit insano contorquens vertice silvas
 Fluviorum rex Eridanus, camposque per omnes
 Cum stabulis armenta tulit. Nec tempore eodem
 Tristibus aut extis fibrae apparere minaces
 Aut puteis manare cruor cessavit, et altae
 Per noctem resonare lupis ululantibus urbes.
 Non alias caelo ceciderunt plura sereno
 Fulgura, nec diri totiens arsere cometae.

485

Proluit insano: *Proluere* stricto sensu est *madefacere*, *lavare*: latiore vero, ut in hoc versu, est *lavando abripere*, ut cum fluentis aquae impetus secum trahit quae adluit. Horatius (I Carm. 2.) loquitur de inundatione Tiberis: «Vidimus flavum Tiberim retortis Litore Etrusco vehementer undis Ire dejectum monumenta regis Templaque Vestae». *Fluviorum*: Pes anapestus pro dactilo; rarissima licentia in hexametris Vergilianis. Forcellinus putat Vergilium trisyllabum fecisse cum *i* consona (fluvjorum), ut saepe *arjete* pro *ariete* *Eridanus*: Nomen poeticum Padis, Italiae *fluviorum regis*. De origine istius appellationis confer Plinium (Hist. nat. III, 16 20). *Tristibus*: Ib est *sinistris, mali ominis*.

Cicero (De Divin. I, 119) ait de Julio Caesare: «Cum immolasset illo die qui primum in sella aurea sedit, et cum purpurea veste processit, in extis bovis optimi cor non fuit. Qua ille rei novitate perculsus est, cum Spurinna diceret timendum esse ne consilium et vita deficeret, earum enim rerum utramque a corde proficisci. Postero die caput in jecore non fuit, quae quidem illi portendebantur a diis immortalibus ut videret interitum, non ut caveret.». *Manare puteis*: (ex puteis): crebrius omitti praepositiones apud poetas, ex tot hoc fragmento cerni potest. *Resonare*: Est sonum reddere, sono respondere; sepeiatim dicitur de echo quae voces et sonum repercutit.



Ergo inter sese paribus concurrere telis
 Romanas acies iterum videre Philippi; 490
 Nec fuit indignum superis bis sanguine nostro
 Emathiam et latos Haemi pinguescere campos.

Ergo: Eventus qui nunc referuntur sequelae sunt prodigiorum vel potius necis Julii Caesaris. *Paribus telis;* Utraque enim acies Romana Romanis armis dimicavit. *Iterum videre Philippi:* Philippi urbs est celebris Macedoniae extremae in Thraciae confinio, haud procul ab ora orientali maris Aegaei. In vasta ejus planitie pugna exarsit Octaviani et Antonii contra Brutum et Cassium et ultimos Rei publicae fautores, qui omnino ab iis sunt profligati.

De versu *Romanas acies iterum videre Philippi*, magna exorta est controversia: nam verbum *iterum* referri quidam volunt ad *concurrere*, non ad *videre Philippi*, et respicere pugnam Pharsalicam, quae ante illam commissa fuit. In hac interpretatione sensus esse debet: *ergo Philippi videre Romanas acies iterum concurrere* (scilicet pri-

mum Pharsalis, deinde ipsis Philippis). Alii vero arbitrantur Vergilium perperam confundere Pharsaliam cum Philippis; nec desunt qui geminos Philippos faciant, in Thessalia et in Macedonia. Quidquid est, animadvertamus oportet poetas qui de his pugnis agunt, latiore sensu excipere Macedoniam, Thessaliam Philippos, cet.; ideoque non nimiam operam curamque in hisce quaestionibus inpendendam.

Superis: Dativum, non ablativum, quamquam id videtur prima fronte postulare regimen adjectivi *indignum*: sensus enim est: *superi non judicaverunt indignum, vel superi permiserunt*. *Emathia:* Nomen antiquissimum Macedoniae, quo pars quondam regionis, dehinc tota regio designata est.

HENRICUS MARTIJA, C. M. F.

A V E M A R I A .

*Nomen mellifluum, fluens pudorem,
 totum pertenerum, pavor tumentis
 orci; permiserans; amoris hymnus.
 Nomen praevalidum, super gementem:
 Spiramen Violae, Roseti odorans
 nectar pectoribus dolore adustis.
 Jesu deliciae, melos beatum;
 herbis rorifluum siti zrefactis.
 Quid laudum? Dominus vocat: Mariam,
 stellam pernitudam maris minacis,
 hortum florigerum, sacrum fluentum,
 lunam, luciferum rubente sole;
 Sic laus caelicolum: meo nec absit
 versu dulcisono. Vel ipse praeco
 subsistam! Genetrix, mori nec obstes
 natum sub gremio tuum pudico;
 in terris modulus supremus ori,
 in caelis animae perennis adsit
 haec vox laetificans: AVE MARIA!*

Gulielmus LASERNA, C. M. F.

Zipaquirae in Columbia.


Decimo Kal. Februarii 1934.

NOVA ET VETERA

Diversa vasorum genera (a)

In numero superiore de vasis locuti sumus aquariis praesertim et vinariis. Sed quoniam adeo patet vasis significatio ut eo intellegatur instrumentum quodlibet idoneum ad aliquid recipiendum, ideo hodie legentium oculis alia vasa proponemus quae maxime etiam sunt in usu cottidiano, praesertim viatoribus.

Ad haec pertinet *mantica* (1) quae umeris et tergo gestabatur, ut. sumitur ex Apulejo (Met. 1): «Manticam meam umero exuo; caseum cum pane prope ei porrigo». Et etiam ex Gratiano (Cyneg. 339): «Sit famulis vitulina tuis aut tergo fulvo mantica. *Bulga*, (2) est sacculus ad brachium pendens, cuiusmodi sunt, qui a viatoribus gestari solent. Sic Nonius (p. 187, 18) adferens illud Varronis: «Eo ut viaticum ex arcula (3) adderem in bulgam (vulgam)». *Vidulus* (4) est pera marsuppium major in quo quidpiam itineris causa reponitur, quod docemur ex Plauto (Men. 5, 7, 47): «Recto obsignatum in vidulo est marsuppium *Marsuppium* (5) autem est sac-



Mantica



Vidulus

culus (6) nummorum ut constat ex eo (Plaut. Rud. 5, 2, 26): «Nummi octinginti auri in marsuppio infuerunt». Sed major marsuppium est *saccipperium*, (7) ut videre est etiam in Plauto (Nud. 2, 6, 64): «Meum marsuppium, quod plenum argenti fuit in sacciperio»... *Crumena* (8) vero minor est sacculus quem e collo vel ante pectus vel in tergum suspendebant veteres, in quo pecunia reponebatur (Plaut. Truc. c, 1, 7). «Homo crumenam sibi de collo detrahit, minas viginti mihi dat, accipio libens, condo in crumenam». Credimus

rectissime vocari posse *pasceolos*, (9) perulas illas in quibus praeter cartas communes servantur etiam scidinumiae (10), de quibus Nonium audi: «Pueri in ludo solent pasceolos furari».


Haecemus de vasis viatoriis. Cum autem in numero praecedenti quaedam praetermisimus culinaria; hic addere curabo, ne cui forte viderentur omnia ibi esse proposita.

Cum omnia instrumenta culinaria generico nomine comprehendere volumus latine *vasa* (11) dicimus. *Catinus* (12) dicitur commune vas escarium et culinarium vel fictile vel ligneum vel ex alia quapiam materia; *catillum* deminutivum



Sacculus

(a) Conf. num. sup. pag. 148 ubi lege *vasum* vel *vasorum* pro gen. *vasuum* qui excidit.




Sacci-perium

habet. In vasis etiam coquinariis *gabatom* (13) ponimus et *paropsidem* (14) quas una cum *scutula* (15) et *lance* (16) meminit Martialis II, 27:


*Sic implet gabatas paropsidasque
Et leves scutulas cavasque lances.*

Cum lance vulgo *patinam* (17) confundunt et male definiunt vasis genus quo *dapes* (18) *elixae* (19) et *jurulentae* (20) in mensam feruntur. *Lancibus* cibi simplices apponebantur ut carnes assae fructus et similia; *patinis* vero id factum numquam legas ut bene observat Scaliger, sed iis ad condiendos coquendosque pisces et alia utebantur. Ita *patinae operculum* (21) quoque habebant.

Scutellas (22) dicimus patellas quae vasis supponuntur et ea sustinent ut apparet ex eo: Si vasa sunt legata non solum ea continentur quae aliquid in se recipiant, etiam quae aliquid in se contineant: et ideo *scutellas* et *promulsidaria* (Ulpianus, Dig. 34. 2, 20 ad med.) Ex quo testimonio arguimus etiam *promulsidare* (22) *ferculum* esse aptum sustinendo vasi in quo *promulsis* (24) reponitur. Quod magis evincitur ex textu Petroniano: «In *promulsidari* asellus erat Corinthius cum *bissaccio* positus qui habebat olivas (Sat. 31)», *Sartaginis* (25) nomine venit vas culinarium, in quo cibi friguntur vel aliud quidpiam liquefit vel torretur. *Cacabus* (26) adhibetur proprie ad carnes elixandas et ad *pulmentarium* coquendum atque ignis *abeno* (27) supponitur aqua calefit ad lavandum et ad alios usus, et solet esse vas magnum ex aere aliove metallo. Oleum continet *guttus* (28), et dicitur *epistomium* (29) *gutturium* (30) quo liquor diffunditur. Ad pueros alendos est vasculum quod latine recte *briam* (31) vocabimus et aegris facile jus et lac ministramus *simpulo* (32), quod etiam *simpuvium* dicitur, de quo ait Forcellinius esse vas parvum quod quia sumebant minutatim ex eo a sumendo *simpulum* nominarunt.



Crumena



Cartarium

- (1) Mochilla. (2) Maleta. (3) Baúl. (4) Valija, maletín. (5) Monedero. (6) Bolso. (7) Saco. (8) Portamondas. (9) Cartera. (10) Papel. (11) Vajilla. (12) Plato. (13) Sopera. (14) Fuente. (15) Escudilla. (16) Bandeja. (17) Olla. (18) Manjar. (19) Bullido. (20) Con salsa. (21) Tapadera. (22) Platillo. (23) Salvamanteles. (24) Apetitivo. (25) Sartén. (26) Olla. (27) Caldera. (28) Alcuza. (29) Pitorro. (30) Caño. (31) Biberón. (32) Pistero.

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

P E R O R B E M

Aedilicii et archaeologici labores in Urbe peracti.

Forum Augustum.⁽¹⁾ Omnium operum ab Augusto Romae exstructorum hoc forum praecipuum reputatur. «Fori extruendi causa, ait Suetonius,⁽²⁾ fuit hominum et iudiciorum multitudo, quae videbatur, non sufficientibus duobus, etiam tertio indigere» Augustus igitur «aedem Marti, bello Philippensi pro ultione paterna, voverat». Atque amplissimum et ornatissimum exstruxit «sicut et deus, ingens et opus», ibique statuas imperatorum triumphali effigie in utraque fori portico conlocavit. Eadem vero quae fuerat in extruendo magnificentia, dein ruina fuit et dissolutio. Rodulfus Lanciani aevo medio barbaro sermone hoc adfert augusti fori testimonium: «tres tantum collumne magne cum suis basis fundamentis et architravibus» remanent. Nunc autem ex eis quae supersunt reliquiis, ex antiquorum scriptorum notitiis, ex hodiernis investigationibus laudatum forum quale fuerit licet facile dignosci. In eo magnificum Marti Ultori templum erat, ex eoque foro sub Druso, arcu et Germanico duae viae effluebant. Templum stylobatis marmoreis sustentabatur, quae aeneis, ut videtur, circumveniebantur laminibus, quarum in aliqua foedus erat cum Iudaeo populo inita ut refert auctor l. «Mirabilia Romae»: «ubi fuit scripta, ait, amicitia quae fuit inter Romanos et Iudaeos» tempore Machabaeorum: ipse enim in muro Sti. Basilii aeneam laminam adservatam conspexerunt.

Sancti Basilii ecclesia una cum Equitum a Rhodo Palatio duo sunt aedificia quae e ruinis augusti fori emergerunt. Ecclesia Sti. Basilii cum nullo pacto sustentari potuisset eam dirui necesse fuit; domus Equitum e contra convenienter reposita stat super antiquissimis fundamentis aedificata. Forum Augusti tuebatur murum XXXIII m. altum contra aquarum incursus et flammaram, duplex que elegans ornabat hemicyclus hic illuc loculos continens ubi statuae et simulacra reponerentur. Nostra tempestate hae supersunt reliquiae: hemicyclorum pars magna, podia alabastrina, fragmenta aenea, marmorea frusta stylobatarum, imaginum, columnarum, capitulorum, cet. In eodem foro ruinae quoque adparent aulae «Colosi» dictae. Colossus vero statua erat marmorea magnitudine decies grandis supra naturam, cujus vestigia in hesternis fossionibus reperire licuit. In his laboribus operam praesertim impenderunt Dni. Perelli, Rocchi, Baglioni, Zevi, Brunetti, Staffieri. Ricci.

Forum Romanum.⁽³⁾ Nullum jam in hoc foro arcanum abditum credebatur et tamen recentissime thesaurus adparuit in Vestalium puteis reconditus. Etenim ex puteis ad domum Vestalium positae amphorarum reliquiae exhaustae sunt et cortinarum et cacaborum et vasuum et gabatarum et fictilium et aliorum id genus, quae omnia ut Dnus. A. Bartoli testatur ad saec. VIII aut VII a. Ch. juxta

(1) Corrado Ricci, «Le forum d'Auguste» in Revue des Et. Lat. 1927, pp 30-41, 134-145. Giglioli et Colini, «Il mausoleo d'Augusto». Roma, 1930 — (2) Lib. II, vita Caesaris, c 29 — (3) A. Bartoli, «Il valore storico delle recenti scoperte al Palatino e al Foro» in Atti della società italiana per il progresso delle scienze, Oct. 1932, pp 4-6. G. Bendinelli «Il recupero della Curia Senatus» in Moddo Classico, 1933, p. 69

archaeologicarum sacientiarum principia summa pertineant oportet. Unde historia populi Romani et praesertim Vestalium antiquissima traditio, quorum origo ad Numae regis aetatem delata est ex his maxima confirmatur. Alii quoque labores in Romano foro componendo et renovando naviter geruntur, sed omnibus praetermissis tantum in Curia Senatus aliquatenus immoremur.

Haec Curia Senatus quam Diocletianus prope rostra Romani fori erexerat, deinde in christianam ecclesiam Sto. Hadriano dicatam devehit. Facies Curiae tantulum quidem immutata tunc etiam remanebat cum labores effodendi ruinaeque sublevandi archaeologica Commissio ordinavit. Labores ardentem prosequuntur ut Curia, quoad fieri possit, ad pristinam formam revocetur quae majestate ac simplicitate splendebat. Nam curiae Juliae imitata fuerat virtutes, illius videlicet quae Corneliam curiam suffecisse accepimus, de qua Cicero; «Curiam nostram Hostiliam dico, non hanc novam (Corneliam), quae minor mihi videtur postea quam est major» (De Fin. V, 2).

Forum Olitorium et confinia. Prope Tiberim et a foribus imperialibus aliquatenus disjunctum situm erat olerum forum cuius vestigia nunc certissima patent. Huic foro vicina alia reperies archaeologica monumenta ut templum Fortunae Virilis, arcus Jani Quadrifontis, Sti. Nicolai ad carcerem ecclesia, Theatrum Marcelli maxima celebritate praestans, in quo opera haud parva magnique sumptus impenduntur. Hunc theatrum a Caesare

incoeptum Augustus perfecit generique suo Marcello dicavit; postea incendio consumptum Vespasianus iterum erexit. Hodie parietibus theatri palatium *Orsini* sustinetur, quod tamen nihilum obstat quominus theatrum Marcellus celeberrimus ad pristinam fere structuram reduci queat, quam ad rem Dni. Calzabini et Fidenzoni studia operamque intendunt.

Templa fori Argentinæ. (1) Cum in foro Argentinæ prope Capitolium labores aedilicii coeperant, reliquiae antiquissimae improviso emergerunt, quibus archaeologi, propriis nominibus, ignotis litteras A, B, C, D imposuerunt. Haec templa magni sunt pretii, quod videtur, nam omnibus perpensis et forma et extructione et fundamentis et materie ad saeculum tertium vel alterum a. Chr. revocanda sunt. Inter alia caput marmoreum gigas inventum est, quod Dnus. Marchetti Longhi horum fossionum auctor impiger contulit cum similibus quae Thermanum et Vaticano in Museo adservantur atque ex hoc aliisque rationibus illud caput Junonis Reginae esse conclusit cui propterea templum B consecrandum.

Alibi Romae etiam labores archaeologici perficiuntur uti in Mausoleo Augusto, in Mole Hadriana cet., sed pergere jam desino. Haec sufficiant ut cognoscamus atque miremur gloriam ac splendorem Urbis,

«quam laudant omnes, mirantur, adorant» (Mart. l. IV, Ep. 49).

J. M. JIMÉNEZ, C. M. F.

(1) *Marchetti Longhi*, «L'area sacra ed i templi repubblicani del largo Argentina», Roma, 1930. — *Id.*, «Il colossale simulacro marmoreo rinvenuto nell'area sacra del Largo Argentina» in *Studi Mediterranei*, Mars, 1933, pp. 14-16

Bibliographia

Beati P. Ant. M. Claret hymnus, quatuor vocibus inaequalibus, organo comitante, concinnendus. Verba a P. H. Martija, Musica a P. Thoma L. Pujadas. — 3 ptae. apud Administrationem PALAESTRAE LATINAE.

Perpulcra, uti fucata fulgentibus inspirationis radiis, erant verba Hymni a P. Martija composita in laudem Beati P. Claret edita nuper in prima fere fronte Palaestrae, in numero extraordinario. — Perpulcra quidem verba, non autem perfecta et absoluta, tanti viri pace dicam Parnasso carissimam; illis enim verbis vox deerat Euterpes Musae quae nempe aures deorum suo demulcebat cantu. — Nunc, vero, illa exaudita est vox; evenit jam ut duarum complexus musarum felix subrideret hora P. Pujadas opera, armoniae in arte clarissimi magistri.

En quam magnificam jucundamque intexit musicalem compositionem auctor praeclaudatus! Viam pandit, uti signifer triumphator Chorus generalis solemnis, rotundus, augustissimo vocum inessu ab ingenuitate autem populari haudquaquam alieno. — Infra voces vero pergit organum semitam sternens floribus accurati comitatus quo, technicae ope selectae, eruptionis animi ebullire videntur et resonare.

Post Chorum utrobique solemnem spirans magnificentiam in concentum in grediuntur strophae, quattuor in voces inaequales partitae quae blandae, dulcisonae labuntur quasi cadentes in murrhinam crateram crystallinae limphae.

Uno verbo et postremo: lusciniā, quam ars P. Martija creavit et Bto. Claret dicavit, ramos florentissimos invenit ubi caneret in pentagrammatis a P. Pujadas feliciter dispositis.

C. FRIDERICUS, C. M. F.

Corso Buscaroli, Virgilio, Il Libro di Didone, Testo con traduzione a fronte seguito da ampio commento interpretativo ed estetico. Opera premiata (1930) dal Reale Istituto Lombardo di Scienze e Lettere. — Società anonima Editrice Dante Alighieri, 1932.

Maximo expectaveram desiderio, et gratissimo tandem animo accepi eruditissimum opus Dris. Buscaroli, praesidis Lycei classici Imolensis. Jam antea perlegeram iudicia de opere prolata a viris doctissimis, ephemeridibus et commentariis ex Italia, Gallia, Anglia, Germania, Rumania, America, quae omnia in unum collecta benevolentissime clarus auctor ad me miserat; ex quibus inferre licuit librum Dris. Buscaroli in optimis commentariis Vergilianis esse habendum. Operis lectio, quamvis nondum completa, meum iudicium confirmavit et si fieri potest in melius convertit. In primis consilium auctoris laudibus extolli debet. Vergilium interpretaturus et commentariis ornaturus nihil potius eligere potuit quam librum IV Aeneidis, librum scilicet Didonis, librum in quo ingenium epicum Vergilii fulgore nituit divino, in quo, ni fallor, Homerum magistrum superavit; librum quo nulla pars magis legebatur de corpore toto poematis, jam Ovidii tempore; librum cuius lectione divus Augustinus in lacrimas erumpebat.

Librum Didonis serio et vero pondere scientifico esse confectum demonstrant plus 110 operum et articulorum ab auctore collatorum, et in elaboratione operis adhibitorum, praetermissis fere innumeris locis adductis ex classicis Graecis et Latinis, ex poetis aliisque scriptoribus recentioribus. Interpretatio soluta sermone facta est, quo conceptus textus originalis rectius deprehenduntur; et optimo quidem consilio: Vergilium enim versibus rite interpretari nemo va-

let, nisi alter Vergilius, quidquid de hac re sensit Goethe.

Quid nunc de auctoris commentario loquar? Meum facio iudicium optimorum criticorum et sapientium virorum: Commentarium scilicet Dris. Buscaroli studium esse psychologicum, criticum, artisticum, solida doctrina praeditum; quibus addendum est id numerari debere in studiis perfectissimis et absolutissimis de Vergilio, quae ad nostra tempora edita sunt, in memoriam honorifice revocans alterum millenarium Vergilianum, cujus occasione conscriptum est et laurea ornatum. Vehementer optamus ut Dr. Buscaroli studiosis offerat alias gemmas poësis Vergilianae, ut librum VI Aeneidis, Bucolicon IV, cet.

Ex foliis periodicis *Corriera Padano* (Ferrara, 10 maggisi) accepimus, Prof. Buscaroli titulo honorifico insignitum socii Academiae Humanisticae Hungaricae; egregio viro ex animo gratulamur.

Orazio. *Arte Poetica*, con introduzione e note di *Guiseppe Cammelli*. Firenze, 1933.

Inter innumeras editiones *Artis poeticae* quae fere quotidie typis mandantur, haec est in primis mentione digna, quae Felicem Le Monnier editorem habuit nuperrime, auctorem vero Josephum Cammelli. Hic liber, etsi minime eorum fines excedit, qui in usum scholarum veniunt, a magistris tamen cum profectu legetur. Prolegomena aptissima sunt ad illustrationem temporis quo Horatius opus conscripsit, et personarum de quibus agitur. Tempus ab auctore protrahitur ad annum 10 ante C., in quo non convenit cum aliis (Rostagni, Kiessling); in personis. opinioni favet Porphyrius, scholiastae saeculi III: «Hunc librum qui inscribitur de Arte Poetica ad Lucium Pisonem, qui postea Urbis custos fuit, ejusque liberis misit. Nam et ipse Piso poeta fuit, et studiorum liberalium antistes». Textus eruditus et amplioribus illustratur adnotationibus criticis, grammaticis, historicis.

Ugo Enrico Paoli. *Prose e Poesie Latine di Scrittori Italiani*. — Firenze 1933.

Praecipua Latina scripta ex elegantissimis scriptoribus Italis a saeculo XIV, velut sertum nitidissimum sese praebent, quod nunquam profecto ignavia ac negligens ignorantia oblivione obruet.

Quicumque Latinas amant litteras non parva voluptate ac plausu excipient novi sermonis Latini conlectos flores, Egregius scriptor opti me exponit in prolegomenis animadversiones in metricam et prosodiam humanisticam, quae in minoris momenti rebus differt a classica. Initium sumit a scriptis Latinis Dantis Alighieri, quem sequuntur Petrarca, Pontanus, Polizianus, Sannazarus, Bembo, Vida, Flaminius, Fracastorus, et inter recentiores Vitriolus, Leo XIII et Pascolius. Utinam et Hispanorum humanistarum Latina scripta in lucem proderent!

G. Lugli, *Monumenti Greci e Romani*. Casa editrice «Ausonia», Roma, 1934.

Hoc opus monumentorum Graecorum et Romanorum, magni momenti iudico studiosis antiquitatum classicarum, praecipue ad archaeologiam pertinentium, non quod monumenta profuse explicet, (ut *Cagnat, Manuel d'Archeol. Romaine*) sed brevi et distincta ratione describit monumenta, quae ad nostra tempora pervenerunt sive Graeca, sive Etrusca, sive Romana, in celeberrimis museis Vaticano, Parisiensi, (Louvre) Londinensi, cet. adservata. Hujusmodi monumenta, numero sunt 274, cum totidem illustrationibus photographis. Triplici introductione explicat auctor originem, historiam, et evolutionem artis Graecae, Etruscae, Romanae. Magnopere interest disquisitio de arte populi Etrusci, nondum bene cognita, cujus monumenta ostendunt gentem Etruriae incolam, artem peculiarem habuisse, magnumque in artem Romanam influxum exercuisse.

H. MARTIJA, C. M. F.

Index rerum (Vol. II)

Ann. schol. III et IV.

1932-34.

Numeri 19-36

Notanda: 1) Paginas signamus, ubi articuli coeperunt: numeros qui signatione b) praecedunt ad annum scholarem tertium 1932-1953) referes; qui vero sequuntur ad annum quartum (1933-1934).

2) Carmina, translationes ceteraque in operculis edita, adposito tantum numero fasciculi indicamus.

Adnotationes

JOVÉ. In eclogam Blasii Larraz, 134.
MIR. In epist. ad Fam. 2, 14 Cic., 43; in epist. ad Fam. 16, 20 Cic., 60; in epist. ad Att. 3, 6 Cic., 90.

Archaeologica

JIMÉNEZ. Aedilicii et Archeologici labores in Urbe peracti, b) 77, 150.

Bibliographica

CASALS. Minutii, Lactantii, Ambrosii, Augustini, Hieronymi scripta selecta, b) 15; Epitome grammaticae Graeco-Biblicae, 79.

FANLO. La traduction du latin, 15.
GIRAL. De l'invention, De finibus bon. et mal., Vergilii Aeneidos, 128.

GONZÁLEZ. Cours de langue latine, Versió de les Confessions S. Agustí, Des poètes français, 95; A Fala do Retelo, Sprechen Sie Lateinisch?, 112; Petit traité des synonymes latines, Lengua latina, 127; La fin du monde antique et le début du moyen âge, 145; Sprachwissenschaftliche Grundlegung, Die Sprachstaemme der Erde, Die Geschichte der Roemischen Dichtung in Zeitalter des Augustus, 100 lustige Raetsel für junge lateiner, Woerterbuch der Antike mit Beruecksichtigung ihres Fortwirkens, Proverbes françaises et gallicismes, b) 32; Le grec et le latin, Exercices grecs, Froehliches Latein, Histoire Romaine, 46; Lexique de la terminologie linguistique, Las ideas pedagógicas de S. Ignacio, 64; Gramática latina, Lo stile latino, 80.

JIMÉNEZ. Florilegium Patristicum fasc. VI, VII, 16; fasc. X, XI, XII, XIII, XIV, IV, 31; fasc. XV, XVI, 80; fasc.

XVII, XIX, XXIX, XXX, 111; fasc. XXXI, XXXII, XXXIII, XXXIV, 144; fasc. XXXV, XXXVI, b) 47;

JOVÉ. Gramatica latina; Morfologia regular e irregular e della lingua latina; Nuovi exercizi latini di Gandiglio, 14; Epistole scelte di Plinio, 32; Max et Moritz, 110; Lateinisches Woerterbuch, Communia vitae, 112; Virgilio, 144.

MARTIJA. Oratorum Romanorum fragmenta; Critiques des textes; 15; Obras poéticas de Fr. Luís de León vol. I, 48; Virgilio poeta de Roma; Cicerón: psicologia de su oratoria, b) 31; Les Bucoliques et les Géorgiques; Obras poéticas de Fr. Luís de León, vol. II, 63; Amniani Marcellini opera, 80, Oratii Satyrae, 156. H. libro di Didone, 171; Prose e poesie di Scultori Italiani, 171.

MAYOR. De finibus; Lelio dell' Amicitia, b) 79.

MIR. Les textes latins; Anthologie de poètes, 127; Cato Major, De senectute b) 32; Cours de langue latine, 63; Eutropi Breviarium, 172; Oevres completes de Ciceron.

PASTÓ. Le liriche di Q. Orazio, 16; Congrès de Nimes, A Virgilio il clero Mantovano, 63; L'opera dell' imperatore Claudio, b) 15; Del sacerdocio, 156.

PLANAS. Josep Finestres, 47.

PRATS. De l'orateur, 128.

PUJOL. Conferenze Virgiliane, 95; Le satire di Giovenali, b) 15.

SCHWIENIEK, Der lustige Lateiner, 80.

Biographica

AVENARIUS. De Johanne Santolio poeta, 87, 102, 123, 141.

JOVÉ. Raimundus Lazarus Dou, 36.



MARTIJA. Emm. Cabanyes centenaria commemoratio, b) 38.

MESA GÓMEZ. Raphael Pombo, b) 21.

MIR. P. Franciscus Reuss, 4.

SERRANO. Antonius Musa. 113.

Claretiana

I. Disquisitiones

ARRANZ. Claretianorum opera in tradendis disciplinis, b) 129.

BLANCH A. Btus. Claret, homo Dei miraculis clarus, b) 94.

CALVO. Nobilis Relig. Familiarum Conditor, b) 100.

CARRIÓN. Congregatio Claretiana Missionum decus, b) 104.

ESQUÉ. B. P. Claret linguae latinae in Hispania propulsor, b) 115.

FANLO. Qualis apud Claretianos viguerit vitae sanctitas, b) 98.

ILLA. Fundatio Congregationis, b) 127.

JIMÉNEZ. Quantam Claretiani litteris Latinis dederint operam, b) 123.

JOVÉ. Bti. Antonii Mariae Claret vita, b) 83.

MIR. Btus. Claret humanitatis et litterarum fautor, b) 118.

POSTIUS. Btus. Claret populi Doctor, b) 109.

PRATS. Btus. Claret Conc. Vat. Ornamentum, b) 132.

RAMOS. Btus. Claret Filius Mariae amantissimus, b) 90.

SERRA. Btus. Claret insignis Paedagogus, b) 112.

II Carmina

LÓPEZ DE ZUBIRIA. Servus Mariae, b) 93.

MARCOS. Alacer Christi miles, b) 114.

MARTIJA. In honorem Bti. Claret, b) 82.

MATTEOCCI. Exultemus! b) 139.

REPISO. De fund. Congr. adflatus, b) 108.

Compositiones vertendae

I. *Exercitationes*: Nasica y Enio, n. 19; El médico infatuado, n. 20; El gozo de la ciencia, n. 21; El hombre magnánimo, 22; Tuberón y el picoverde, n. 23; Del dicho al hecho, n. 24; Las pelucas, n. 25; El amigo es un tesoro, n. 26; El hambre, n. 27; El filósofo Diógenes, n. 28; Cinégiro soldado ateniense, n. 29;

Por la lucha a la victoria, n. 30; Pompeyo y Posidonio, n. 32; 36.

II. *Fabulae P. ROCCI*: Serpens et elephas, n. 19; Pavones et bubo, n. 20; Canis marinus et balaena, n. 21; Canis marinus et vulpes, n. 22; Piscatores, fortuna, cet., n. 23; Equus bellator et equus ruricola, n. 24; Equus bellator et equus timidus, n. 25; Duo canes marini et graculus, n. 26; Telegraphos el fulgur, n. 27; Pavones et pullus indicus, n. 28; Turris et municeps, n. 29; Hamaxostichos et equi, n. 30; Passeres et Priapus cum cultore, n. 31; Hamaxostichos et aselli, n. 32.

Conloquia in schola

PALAESTRICUS. Iter ad praedium, 8; Vir tredecim annorum, 28; Telephonium, 52; Ad unguem, 77, Etiam nunc tempus est, 83; Lexicon Forcell. et Wagn., 104; Inter amicos, 115; Spectando ferias, 140; Studiosus litterarum praemio donatur, b) 4; Cave cuique fidus, 26; Annus novus et annus vetus, 54; Non libet, 68, In pervigilio examinvn, 161.

Cursus gymnasticus

LÓPEZ DE ZUBIRIA. III Vergilii ecloga, 9, 24.

MARTIJA. IV, V, VI Vergilii eclogae, 106, 116; b) 6, 22, 42, 62, 74.

Epistularum commercium

JIMÉNEZ ET MARTIJA. Litt. mutuae, b) 70.

JOVÉ ET AVENARI. Epist. mutuae, 42, 54, 70, 139; b) 58, 136.

JOVÉ ET TORRENTE. Litt. mutuae, b) 1.

JOVÉ ET ERRANDONEA. id. b) 37.

JOVÉ ET SAMPERE. id. b) 27.

REUS. Josepho Font s., 6, 27.

Grammatica

JIMÉNEZ. Nemo, nihil, nihilum, b) 60.

JOVÉ. De comparativis, 68, 108, 121;

De forma erunt praeteriti perfecti, 81;

De recta linguae Latinae pronuntiatione,

b) 1, 17, 33, 49, 65.

Historica

JOVÉ. De Cervariensis Academiae viris litteratis, 17; cfr. 36, 58, 92; b) 38.

PASTÓ. Studia Latinitatis in Civitatibus Confoederatis Americae (U. S. A.). id. apud Polonos, 13; id. in Holandia, 46;

Inter scholares

7, 20, 39, 63, 69; b) 9, 12, 19, 41, 44, 76.

Litterae

JIMÉNEZ. De litterarum Latinarum conventu Romae habito, b) 13.

MARTIJA. Horatiana, 49, 65, 130.

Nova et vetera

GONZÁLEZ. De temporis computatione, 22; De animalibus, 40; Varia genera rerum, 56; Utensilia vitae familiaris, 72; Birota, 85; Res sacrae, 100, 119; Ludenti rationes, 137.

JOVÉ. Manus ejusque partes, 2; Electrica pirula, b) 10; De trutinis, 24; Novacula in cotem, 40; Cubiculum, 56, 72; Vasia vaserum genera, 148, 164.

Per orbem

JIMÉNEZ. Commentarii recens editi, Cl. viri e vita sublatis, Conventus generalis linguarum, Societates linguae Latinae, b) 29; Archeologica nuntia, Certamina poetica, Romani populi celsitudinis ostentatio, Navigatio Budeana, Classici Latini, 45.

PASTÓ. Dr. Griteria, 13; Philologorum conventus, Edit. Schönningh, Studia in Lat. Medii Aevi, Exped. Budeana, 30; Chronologia Vergiliana, Saxia, Ex Sem. Manizalensi, 46; Pro rebus Hispanicis, Ad usum linguae Lat. promovendum, 63; Cent. Dovii commemoratio, Sculpturae Villae Adrianae, Antiquité classique, Dialogi Lat., 79.

Philologica

FORNARI, JOVÉ, GONZÁLEZ. Quo nomine Tankeatine vocemus, 74.

JOVÉ. Vocabulum tecla undenam ducat originem, 32.

LLOBERA. Dissidium non esse Latinam vocem ejusque loco scribendum discidium, 97.

Picturae

Respondent in singulis fasciculis rubricae dictae «Nova et Vetera».

Poética

I. Carmina.

CARO. Ad Romanum Pontificem, 131.

CHACON. In Vergilium, b) 53.

FERNÁNDEZ. Btae. Mariae V. de Perpetuo Succursu, b) 20.

JANICIUS. De innocentia, 45; Trochus et tempus, 53; In imaginem Crucifixi, 94; In Nummicum, 123.

LARRAZ. Arennis ecloga, 134.

LLOBERA. Ad Reges Magos, 51; In peccatum, b) 14; Ad amicum, 36; 160.

MARCOS. In Remp. Argentinam, 21; Mitis adesto, b) 71.

MARTIJA. Immaculatae Deiparae Conceptioni, 35.

MATTEOCCI. Autumnus, 12; Ver redit, 99.

RESTREPO. Quid retribuam Domino? n. 31.

SANTOLIUS. Hymnus Sanctorum, b) 23; Ad Divum Johannem, 36.

URQUIOLA. Carmen Hiemale, 71; In Christum Crucifixum, b) 8; Conf. sup. n.

II Poéticae versiones

AVENARIUS. Silva Bohemica, Lepusculus stratus in nivibus, n. 31.

CARO. Patria, n. 19; Ad Melpomenem (Hor. O. IV, 3), n. 23, 24; In ingratum, n. 28.

LOZA. Ad Apollinem (Hor. O. I, 31), n. 32.

LLOBERA. Ad Licinianum (Mart. I, 50) n. 20, 21, 22; Hor. carmen 14, lib. I, n. 30.

MARCOS. El gran libro, n. 25, 26.

MESA. Per noctem, n. 28.

POMBO. Ad Licinium (Hor. O. II, 10) n. 29.

RESTREPO. Ergo Pastor Amabilis..., n. 27.

Responsorium

b) 3, 52, 78.

Varia

DORCA. Oratio pro R. Lazaro Dovio, 92.

DOVIUS. Oratio in his qui in bello moriuntur, 58.

JOVÉ. Curriculum dimetiendum, 1; Epigramma sacrum, b) 81; Bti. Claret fasti insigniores, Congregatio Claretiana (Statistica) 140.

I. O. D. G.

Jean Hubaux, *Les thèmes bucoliques dans la poésie latine.* — Bruxelles, Maurice Lamertin.

Clarus hujus operis auctor et rebus Vergilianis summe peritus sibi scopum praemittit thematum bucolicorum filiationem in poësi Latina accurate studere ante et post bucolica Vergiliana, seu pedetentim litterarii istius generis evolutionem sequi. Ad hoc Dnus. Hubaux duces solertissimos criticos E. Norden et Herrmann sibi adsciscit, at non tantum investigatione sistit bucolicorum Vergilii, Calpurnii et Nemesii verum etiam se vertit ad elegias, epigrammata et poësim didascalicam. Etsi hujusmodi operis scopum eglogae Vergilianae non directe et per se constituent, nihilominus auctor ad eas crebro recurrit; et merito, nam earum momentum in genere pastoralis ignorat nemo.

Dissertationem Dni. Hubaux impensum ob laborem, consultam crism, vastam eruditionem, copiosam documentationem plausu dignam putamus et commendatione.

J. M. GIRAL, C. M. F.

B. A. Calvi, *Eutropi Breviarium ab Urbe condita*, con note. — Torino, Società Editrice Internazionale.

Plura jamdiu sunt opera Romanorum scriptorum edita apud Societatem Editricem Internationalem; ex quibus maximum certe commodum Latinitatis amatores percipere valeant. — En tibi alteram editionem rursus typis mandatam operis cui titulus: *Eutropi Breviarium ab Urbe condita*, notis historicis, grammaticis aliisque summo studio et diligentia a Dre. A. Calvi ornatum; nec desunt photopicturae sive virorum in Re publica Romana praestantium, sive aedium aliarumque rerum in antiquitate nobilium: quae quidem jucundum oculis in legendo reddunt librum et ipsum dicendi genus Eutropii aliquatenus siccum temperant. Eutropius vero «Res Romanas, quae in negotiis vel bellicis, vel civilibus ab Urbe condita usque ad Jovianum emi-

nebant, per ordinem temporum brevi narratione collegit strictim, additis etiam his quae in principum vita egregia extiterunt.» — Habes igitur totius Romanae antiquitatis breviusculum compendium accurate notatum, alumnisque commendandum.

Charpentier, *Oeuvres complètes de Cicéron.* — *Brutus ou dialogue des orateurs illustres, L'orateur, Les orateurs parfaits, Dialogues sur les partitions oratoires.* — **Delcasso, *Les topiques.*** — Garnier, R. des S. Pères, Paris.

In hoc volumine, quod ad priorem editionem Garnier «Bibliothèque latine-française», pertinet, praecipua opera de arte dicendi oratoria a Tullio exarata continentur; quae tamen inscribuntur: *Brutus seu dialogus de claris oratoribus, Orator, De optimo genere oratorum, Topica, De partitione oratoria dialogus.* Versio Gallica, nonnullis debetur claris Galliae viris, retractata tamen a Dno. Charpentier, qui quidem summo studio manus curamque admovit Collectioni Classicorum Garnier: Unicuique Tulliano libro praeit praefatio in qua quasi uno intuitu lectori perspicere licet doctrinam in libro evolvendam atque a Cicerone enucleandam; et in his proemiis et in notis, quae tanquam appendix in fine operis apponuntur, principaliora notantur quae textui maximam claritatem infundunt.

Nulla exhibetur in opere critica nota aut fontium annotatio et licet versio quae in superiore pagina prostat, in ima vero textus Latinus minoribus typis conscriptus, Gallicae linguae cultoribus degustanda praebeatur, pro iis tamen qui in nativa lingua opus Tullianum legendum amant, nimis certe minuti nec semper aspectu nitidi in textu Latino typi apparent. In nova editione classicorum Garnier haec accurate corriguntur et emendantur.

Josephus M^a MIR, C. M. F.

Exercitationes Scholares

Pompejus apud Posidonium philosophum. Pompejus refertur solebat per Rhodon transiens et ex Syria decedens, Posidonii clari philosophi audiendi habuisse cupiditatem, quem cum graviter esse aegrotum scisset, quod membra ejus laborarent; visere eum tamen voluit. Cum igitur ad eum ivisset, salutumque honorificis verbis esset prosecutus, quod ejus audire sermonem non poterat, id aegre tulit. At ille: «Id vero poteris, inquit, non igitur committam ut corporis dolor sit causa quod ad me tantus vir nequidquam venerit.» Et Pompejus narrabat philosophum cubantem de hoc copiose dixisse: «Nihil bonum esse nisi honestum»; et cum facies dolores magis ei admovebant dictitabat; «Nihil agis, o dolor, quamquam molestus sis; ego te numquam malum confitebor».

CANDIDUS REÑÉ, C. M. P.

Barbastris

Los pájaros y Priapo con el hortelano. Lo que en la vida aparece muy temible, muchas veces tiene apariencia vana y sirve de juego a los niños. Casi a cuatro millas del camino de Túsculo, una alegre campiña contiene un floreciente huerto, que es el único cuidado y trabajo de un buen hortelano. Pocos años ha, habiéndole sembrado el hortelano, pensando que un espantajo sería a propósito para ahuyentar la aves de rapiña, inventó un Priapo de esta traza:

Un traje de hombre, que era de tela fuerte; le llena de trapos y le coloca con arte al rededor de palos unidos con gran habilidad, y pone en la cabeza pintada un gran sombrero, de modo que parecía un hortelano vivo. Extiende y sujeta los grandes brazos del priapo y pone a este un paño sujeto a ambos muslos, como velas para ser hinchadas por el viento. Cuelga de sus grandes manos la figura de dos águilas hechas de paño y plumas negras, fija finalmente el espantajo en un disco de abeto al que había hecho un agujero en el centro, y le pone de manera que el viento le pueda girar. Las aves al principio se aterran, pero luego se acercan con cautela, y la más vieja de todas dice: No hay que temer. Las restantes sin ningún temor vuelan en bandada y se posan en el sombrero, en los grandes brazos y en las negras águilas del priapo, y alegres cantan todas a una, dando vueltas apresuradamente en él, al hinchar el viento las velas. Entonces se presenta el labrador, y no pudiendo contener la risa, dice: Ninguna astucia vale contra las aves.

ALOISIUS TORRUBIAS.

Seminarium Abulense

Prof. Emmanuel Jové, C. M. F.

Moderator

Typographia F. Camps Calmet. - Tarrega

*Lectores animadvertant oportet hunc esse numerum
hujus curriculi scholaris postremum. Usque ad mensem Octo-
brem ergo cum sociis nostris feriabimur.*